



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Exponitur quid propriè sit Conscientia, ejusque praecipua munia
summatim explicantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

TRACTATUS II.
DE CONSCIENTIA IN GENERE
EIVSQUE NATURA.

Hoc præceptum tibi commendo fili Timothee secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam Conscientiam. 1. ad Timot. 1. v. 18. 19.

Exponitur quid propriè sit Conscientia; in quâ parte animæ consistat, eiusque præcipua munia summatim explicantur.

PROOEMIUM.



Vnde petenda sit Animi quies & verum Gaudium, utcumque jam ostendimus. Ex bonis honestisque actionibus, solidam sinceramque lætitiã existere nemo negaverit, nisi qui scelerum patronus factus, sibi est perfidus, atque hostis suus. Sanè probitatem morum, actionesque rationi congruas alimentum esse præsentis in hâc vitâ, pignusque futuri Gaudii, in comperto est; hoc clamant sacræ paginæ, istud quotidianâ experienciã testatur. Neutrum tamen nunc ago, ne nimium disfluat oratio. Verùm cum actionum omnium moralis bonitas, atque ad eò vitæ nostræ laus (quam *bonam militiam* vocat Paulus,) à bonitate Conscientiæ; vituperium autem malæ vitæ aut militiæ; ab eius peruersitate dependeat: ut res omnis à fundamentis penitus eruatur, istud ab ipso exordio est explicandum, quid demum rei sit Conscientia. Turpe enim est fortunæ suæ originem inquirere, & cum jam tenetur manibus, naturam tamen tanti boni

© 3.

igno.

1. ad Tim.
1. v. 19.

ignorare. Sanè nemo vnus est, qui de Conscientiâ pleno ore non disputet. Conscientiam suam inclamant omnes, & fortassè non omnes eam prout est, intelligunt. Itaque vt ordine eat res, exponemus modò Conscientia quid sit & in quâ Animæ parte sedem fixerit. Deinde quæ eius sint partes aut officia, summatim explicabimus, vt ita vni aspectui pateat Conscientiæ, & eorum quæ dicenda sunt, symmetria & constructio.

*Concionato-
ria munus
est dogmata
Theologica
populo expo-
nere*

Et quomodo.

Intercurrent fateor quæstiones quædam in Theologorum scholis disputari solitæ: sed numquam credidi eas à Concionatorum subselliis esse relegatas. Quin imò idcirco existimaui ego, inter doctissimos illos parietes veritatem debere discuti diligenter, magnoque feruore sententias agitandas esse, vt paleis pulueribusque, disputationis vi discussis, purum frumentum, veritas inquam, animæ pabulum, tandem emergat, quòd pro concione demum oratione placidâ sine altercationum acrimoniâ, populo proponatur. Quid quod abstrusissima maximèque recondita Theologiæ mysteria, ex iis ipsis Sanctorum Patrum homiliis petita à Scholasticis videam, quas viri prudentissimi, & Ecclesiæ primitiæ Doctores, jam olim antequam Scholæ existerent, pro populo passim exponebant? Adeò vt si rectè rationem teneo, manifestum sit Theologiæ, etiam subtilissimæ placita, longè ante Concionatorum pulpita quàm Scholasticorum exedras fuisse pertragata. Theologicas itaque de Conscientiâ quæstiones, quas quidem ad rem meam generatim facere iudicauero, in medium proferam: sic tamen altiora dogmata pertractaturus, vt à quocumque Theologicis terminis non imbuto, faciliè intelligendus sim: quæstionum abstrusiores apices è rupibus vulgo inaccessis, in plana deducturus, atque ea quæ passim habentur recondita & obscura, omnium oculis, vti spero, facturum clara atque perspicua.